



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

B. Franciscus Senensis. 30. Aprilis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

276 VITÆ SANCTORUM. 30. April.  
proprio Martyrum baltheo Angelus cin-  
xit. Ita hic robur suum induit, alter bibit.  
Nec multò post novus cælo uentius mit-  
titur de venustioribus ephebis, qui sero  
vice torquis indutus, & palmam venti-  
lans (nam & ipse nuper unâ cum matre &  
gemello trucidatus fuerat) MARIANUM  
& JACOBUM ad martyrum condicere con-  
vivium jubet. Nec illi tam lautas epulas  
aspernari, aut morari diutiùs ausi, poste-  
rà die dederunt solum ambo capite  
plexi. Nihilominus equites toto duffusi  
cælo malum minari carnificibus visi, qui  
tam candida innocentia lilia demessuis-  
sent. Ex Surio.

*Dies noster ultimus, certissimum est, no-  
bis quòd veniat; incertissimum est, quan-  
do, vel ubi, vel unde nobis adveniat: nisi  
quòd senibus est in januis, qui juvenibus est  
in insidiis. Guerr. ser. 3. de Advent.*

B. FRANCISCUS SENENSIS.  
30. Aprilis.

**E**TIAM FRANCISCUM viderunt Se-  
næ libertatem mundi repudiare, &  
servis VIRGINIS accedere. Quan-  
quam non tunc primùm transiit in servi-  
tutem VIRGINIS; natus in hanc est.  
Siquidem mater FRANCISCO plena li-  
lium sibi parere est visa, ex quo alia at-  
que alia pullularent, quibus MATREM  
VIRGINEM coronaret. Videbatur dein-  
de

30. April. VITÆ SANCTORUM. 277  
de nescio quis, Pontificiâ majestate insignis scepro uterum tangere, spondereque, lilii quod ferret, candori nihil obfuturas mundi spinas. FRANCISCUS denique lustrico fonti admotus, plus quam pueriliter exultare est visus, oculosque suos in jam tunc suum ocellum, MARTÆ iconem defigere. Jam pueritiam ingressus, quotidie quingenties *Ave* DOMINÆ suæ dixit, orationi extratempora Musis dicata tam deditus, ut non in domo paternâ, sed templis habitaret. A sellum (itaquam nos ad instar catelli Melitensis habemus, carnem appellitabat) saxo & flagris exercebat. Pro concione omnium animos incendebat, ut fidem habeam virginibus, quæ volantem supra dicentis caput igneum globum se vidisse affirmarunt. Adversus obtrectatores opem flagitanti PATRONA VIRGO auditum abstulit, ut surdis auribus præteriret calumniantes. Sub mortem ante dicentis vultum Angeli librum explicarunt. Librum vitæ credidero fuisse, & in illo FRANCISCUM nomen suum legisse; tam hilaris post obiit, & quidem die, quo Christo cælum patuit. Ex demortui ore lilium ajunt natum esse, scilicet ut vobis, Sodales, pietatis in VIRGINEM semen esset. Ex *Beonio to. 13. Ann. Eccl.*

*Imitare minutissimas aves, mane & vesperi Creatori gratias referendo. Et si es devotior, imitare Lusciniam, cui quoniam*

278 VITÆ SANCTORUM. 1. Maii.  
*niam ad dicendum laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilenâ decurrit. S. Max. serm. de Carn. host. non timend.*

SS. PHILIPPUS & JACOBUS  
APOST. 1. Maii.

**G**emino dies hic sole nitet. PHILIPPUS alter, alter JACOBUS est. ille vix inter hominum piscatores adle-  
tus, captum illico ad CHRISTUM Nathanaelem adduxit, laudatam ab ipso Servatore prædam. Sed & ii, qui à veri Numinis cultu alieni erant, ad JESUM aditum sibi per PHILIPPUM quærebant. Illum in consilio Magister habuit, cum ingenti multitudini comæatum pararet: illo rogante discipulis in filio patrem ostendit. Hinc cum in sortem paucorum totus orbis veniret, provinciam ipse nactus Scythiam, eam facile CHRISTO subegit, victorque sub annum IV. & L. Hierapoli urbe Phrygiæ in cruce triumphavit; cum lapides viles jactantibus, sed pretiosi PHILIPPO triumphalem coronam multò pulcherrimè exornarent. Et hujus quidem triumphus de Barbaris; de Judæis JACOBI fuit. Hic carne & vino à teneris sibi interdixit: longâ precandi consuetudine genibus callum obduxit, qui vel Camelo certaret: eâ famâ sanctitatis fuit, ut

S. IOAN DAM